



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

Reverendissimo, Prænobili, & Amplissimo Præsuli, ac Domino, Domino
Theobaldo, Collegiatæ Ecclesiæ in Reichersperg, Canonorum
Regularium, Ordinis S. Augustini, meritissimo Præposito; nec non ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)



Reverendissimo, Prænobili, & Amplissimo Præsuli,

at
DOMINO, DOMINO

HEOBALDO,

Collegiatæ Ecclesiæ in Reichersperg, Canonico-
rum Regularium, Ordinis S. Augustini, meri-
tissimo Præposito; nec non Inclytorum Statuum
Provincialium Superioris Baviariæ De-
putato Primario,

Domino Domino ac Patrono colendissimo, gratioso.

Facilem, ut spero, veniam indulgebis præ-
senti volumini, *Antistes Reverendissime*, quòd,
cum primo nunc exortu publicæ luci na-
scitur, *Tuum* in fronte *Nomen* præferre au-
deat, *Tuumq;* gestiat Patrocinium, & Au-
spicium longè gratiosissimum sibi pacisci. Non levem in
illud audaciæ culpam fortassis derivaret severus nonnemo,
& erecto turgidus supercilio Catonis assecla: verùm con-
similis à *Te* censuræ sustinendæ timorem, & congenita *Tibi*
morum comitas, & sociata dignitati *Tue* modesta urbanitas,
& veteranus benevolentia *Tua* affectus, quem debita sem-
per

DEDICATIO.

per veneratione, qui *Te* noverunt, coluere, omnino exulare imperarunt. Quemadmodum enim minora firmiter sidera, cum mutuo a Solis radiis lumine animantur, serenior de caelo claritate promicant; sic operi huic meo participatus a praefulgido *Tuarum* decore splendor, supremum erit desiderati honoris auctarium. Adeo nempe de republica literaria bene meritus es, *Præsul Reverendissime*, ut tam ingenuæ artes, quam sublimiores scientiæ, inter quas olim insigni profectus emolumento adolevisti, *Tuum* nunc Patrocinium certatim ambiant; & quem aliquando inter cumulata magnæ spei Solatia imbuere discipulum, eodem nunc Patrono, & Auspice, se novis identidem incrementis, uberius propagari gloriantur. Recolit etiamnum lætanti memoriâ *Græcensis Universitas* beata illa tempora, quibus *Te* scientiarum altiorum Alumnum suo fovit in gremio; & sua non sefellisse gaudet vaticinia, quibus jam tunc ob insignes, quas in *Te* suspexit, naturæ, & gratiæ prærogativas, miratos *Tibi* Præsulû honores præfagebat; ad quos jam, sublevantibus virtutis, & scientiæ alis, feliciter eluctatû intuetur. Fortunatum sanè, sub *Te* Præposito, *Reicherspergense* Canonorum Collegium! quod non inani solùm nomenclaturâ, sed ipsâ rei veritate, *Opulentum Montem*, quàm optimè compellavero, non solis tantummodò fortunæ bonis; sed vel maximè veris sapientiæ, virtutisq; thesauris eminentem; in quo, dum conspirantia Collegarum suffragia, canonicâ electione, ad supremum *Te* fastigium evexerunt, nil aliud egisse mihi videntur, quàm supremam *Montis* hujus Præfecturam illi consignasse, quem & virtute, & sapientiâ, præ cæteris *opulentissimum* reppererunt. Et sanè veneratur æquè, ac suspicit Religiosa subditorum *Tibi* Filiorum Corona solidâ in animo *Tuo* firmitate radicatam in DEUM, ac superos, Pietatem; infatigabilem Divinæ Gloriæ, amplioribus semper incrementis promovendæ, zelum; profusam in proximorum charitatem emolumenta; saga citatem in Consiliis; in exequendo fortitudinem; in difficultatum ingruentium obstaculis æquanimum constantiam, aliâq; quàm plurima virtutum speciosarum ornamenta,

DEDICATIO.

namenta, quæ humili potius silentio venerari convenit; quàm
 fusiore stylo, vel fucum illis accerfere, vel assentationis labe in-
 terpretem sinceri affectûs calamum contaminare. Satis ad in-
 crementum Gloriæ *Tuæ*, vel me tacente, perorat Reverendissi-
 mæ, quâ resplendes, dignitatis character; qui, cùm caligine ob-
 volvi nequeat, satis superq; manifestat, *Te* non alio, quàm virtu-
 tis calle; non aliis, quàm meritorum insignium gradibus, ad
 hunc honoris apicem ascendisse: quem, ut longævâ fospitate
 felix teneas, auguria mea sinceris *Tuorum* votis conjungo.

Accipe proinde, *Reverendissime Antistes*, Gratiolo benevo-
 lentia affectu voluminis hujus, publicæ nunc luci nascentis,
 apices, quos *Tuis* defero *Honoribus* vectigales. *Canonicorum* *Præpo-*
litus es; quid aptius *Tibi* deferri valeat, quàm *Canonicarum* diffi-
 cultatum lucubrationes? Pulcherrimum Honoris & Meriti
 connubium in *Te*metipso repræsentas; dum sacris Præsulum
 honoribus insignitus effulges, quibus ipsæ Ecclesiæ, sacratiores
 veluti sponsæ, per anulum, non carnalis modò, sed mystici
 quoq; connubii indicem desponsantur; quod affine magis,
 vel assymbolum Honori *Tuo* anathema sit, quàm *Canonicorum*
 erotematum, de *Sponsalibus* & *Matrimoniis*, discussiones?
 Hæ si beneplacito *Tuo* ex æquo respondeant, abundè favisti,
 cùm probè noverim, quod monet Symmachus: *Magnam præ-*
rogativam esse, placuisse sapienti.

Interea, *Reverendissime Præsul*, longævam annorum seriem
 felix numera; vive annos sanos, & canos, dives virtutibus, lo-
 cuples meritis, omni cœlesti benedictione cumulate, Magni
 Patris-familias verè *fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus*
super familiam suam. Cùmq; grandævus ætate, Nestorios Py-
 liosq; dies expleveris, adhuc multiplicare in senectâ uberi, &
 data *Tibi* de Cœlo talenta duplo fœnore ita multiplica, ut tan-
 dem à Domino, æternitatis mercede præmiandus, audias:
Euge serve bone & fidelis; Sic animitus voveo ex Cæsareo, & Academico Soc.
JESU Collegio Lincij 19. Octobr. 1701.

Rev^m. ac Ampl^m. Dominationi Tuæ

Devotissimus in Christo Servus
 Ferdinandus Krimer è Soc. JESU.